EPITAPHIUM ANNÆ

Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ

REGINÆ

TUMULO INSCRIBENDUM.

LONDINI:
Impensis *W. Lewis*, Covent-Garden; & *Ferd. Burleigh*, Amen-Corner. MDCCXIV.

[Price Three Pence.]

+45-1583F

EPITAPHIUM ANNÆ

Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ REGINÆ

STA VIATOR;

QUOD admireris, quod unicè colas; ſed eheu! ſimul
Quod lugeas, æternùmque deſideres
Heic eſt.
Lege.
Sub hoc tumulo jacet ANNA Magnæ Britanniæ Regina
Stuartis ornata Majoribus, ipſa
Stuartorum ornamentum;
Perpetuo & immenſo prope Regum ordine prognata,
Clariſſimis quibuſque Principibus, Regibus,
Imperatoribus ſanguinis vinculo
Conjuncta; nempe noluit DEUS quicquam eâ videri
Nobilius, quâ nihil ſub cœlo Majus illuſtriuſve
Futurum erat.

AVUM uſquequaquè expreſſit, nullâ re magis quam ardenti
Religionis ſtudio; Quam Ille fidem ſanguine
Teſtatus eſt, eandem Illa duriſſimis temporibus
Confeſſa eſt:
Nec certè credes minus fuiſſe in Confeſſione quam in Martyrio
Meriti, ſi velis perpendere inſignem ANNÆ in parentes
Amorem, qui potuit ſoli in Deum amori
Cedere.
Fidem, quam Privata confeſſa eſt, Regina intrepidè deffendit:
Eccleſiam ſuæ commiſſam curæ materno affectu protexit, fovit,
Aluit.
Regin Optima, Generis humani Deliciæ, reliquos omnes
Stuatos, eâ ipsâ, quâ maximè enituerunt, quæ eos
Nimis ſæpe perdidit, indulgentiâ & lenitate ſuperavit. Inimicos
Non pœnis coegit, ſed Beneficiis invitavit
Ad pœnitentiam.
Semper Invicta
Bellum ſibi in Hæreditatis quaſi partem relictum
Cum ſceptro ſimul ſuſcepit, gloriosè geſſit, glorioſiùs
Compoſuit; DEUS perpetuas victorias conceſſit ei,
Quam noverat victoriis non abuſuram.
Inter media arma pacificum gerens animum,
Ubi ſublatæ belli cauſæ,

Bello

Bello & ipſa finem ſtatuit; Chriſtianos Chriſtianorum cæde
Lanienamque anhelantes mutò conciliavit,
Europam in ſua ſibi viſcera ſævientem dearmavit,
Et beavit.
Juſtis legibus & æquis conditionibus conſtituit pacem, quæ
Univerſis placuit, niſi forte quibus ob peſſimam
Et immodicam cupiditatem
Nulla pax poterat placere.
Regina (in quemcumque Pietas accipiatur ſenſum)
Piiſſima, ipſi Virtuti ſimillima,
Supra exemplum admiranda, quæ nihil in vitâ
Niſi laudandum aut fecit, aut dixit,
Aut ſenſit.

Angli, Scoti, quos Illa pari jure rexit, pari ſtudio
Pari amore fovit, quos unum e duobus effecit populum,
Eumque totius terræ celeberrimum;
Matrem Patriæ lugete:
Annam, Quâ majorem melioremve Principem ſperare nefas eſt,
Cui parem uti optaturi, ita vix expectaturi eſtis,
Æternùm deſiderate:
Sanctiſſimæ Stuartorum familiæ ſanctiſſimas
Et pretioſiſſimas (heu poſtremas!) reliquias
Adorate.

Qui

Qui ANNAM non luget, is nec Britanniæ nec Virtutis est Amicus.

Qui NEPTEM non luget, is, proh nefas! potuisset esse AVI Carnifex.

Posuit Stuartophilus.

FINIS.